

1346-1346- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Brivam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis apud Brivam celebrati
 anno Domini · M^o CCC^o XLVI^o.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: tres de ipsis electoribus aliis ab electo etc., deleatur totum usque ibi: si vero post confirmationem etc.

Item. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: et confirmatione priorum provincialium, quando de suis provinciis assumuntur, hoc totum deleatur.

Item. A modo de sancto Vincencio fiat festum totum duplex; et hec in calendario et ordinario suis locis annotetur, et magister de sequencia providebit.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de recipiendis et apostatis, ubi dicitur: nullus recipiatur infra · xviii · annos, addatur statim sic: nec quicumque illegitime natus, nisi de prioris provincialis licencia speciali; si vero illegitime natus ad ordinem receptus fuerit, et dispensatum fuerit cum eodem, quod fieri possit prior, non propter hoc fiat diffinitor capituli generalis aut provincialis nec predictor generalis nec elector magistri ordinis absque magistri ordinis licencia speciali.

Item confirmamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: nec possit habere officium prioratus nec supprioratus vel lectoratus, addatur statim post et dicatur sic: nec possit fieri diffinitor generalis vel provincialitus capili nec predictor generalis nec magistri ordinis elector. Et hec habet · iii · capitula.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc, quod suppior et vicarius prioris in nostro ordine non possint recipere fratrem ad ordinem, ad professionem vel probacionem, nisi ex commissione speciali et expressa per priorem provincialem vel conventualem aut magistrum ordinis sibi facta.

Iste sunt ordinaciones.

Cum ordo noster a spiritu sancto in soliditate veritatis et existentie ab exordio fundatus, de scienciis vanis et curiosis non curans veritati scienciarum studuerit hattencius virtute constancie inherere, ac sanctissimus pater et dominus dominus noster summus pontifex nos super hoc monuerit, ne contrarium a quibuscumque valeat attemptari, imponimus districte fratribus universis, quod nullus frater legendo, determinando seu respondendo, audeat assertive tenere contrarium eius, quod in communis doctrina continetur et quod contra opinionem doctoris venerabilis sancti Thome communiter creditur extitisse, nec determinare presumat nec recitare aut confirmare aliquam singularem opinionem contra communem sentenciam doctorum in hiis, que ad fidem vel ad mores pertinere noscuntur, nisi reprobando et statim obiectionibus respondendo. Quicunque autem per provinciale vel eius vicarium, qui super hiis inquirere teneantur, ex certa scientia in aliquo premissorum inventus fuerit deliquisse, per eosdem, cum legitime constiterit, a lectoratus officio vel studio absolvatur in penam, si tamen alias de huiusmodi sit notatus. Quod si ex talibus opinionibus scandalum sit subortum, volumus, quod acrius puniatur et ad revocandum nichilominus compellatur¹.

Item. Volumus et ordinamus, quod provinciales et diffinitores capitulorum provincialium teneantur tam de lectoribus quam sublectoribus sufficientibus providere, et quod per preceptum inquirere teneatur provincialis in sua visitacione et ipse cum diffinitoribus in provinciali capitulo a fratribus litteratis et fide dignis, qui super hoc valeant testimonium ydoneum perhibere. Ipsi autem assignati lectores et sublectores suas teneantur continuare lectiones; communes vero fratres singulis diebus ad scolas vadant lectoris principalis et ibidem lectiones audiant, alias illa die a vino vel a pitancia sine dispensacione abstineant, si eos sine causa racionabili vel licencia speciali deesse contingat. Piores autem observatores ponant, qui in hoc excedentes notent et denuncient et transgressores predictos taxatas penas faciant observare. Piores vero et eorum vicarii, qui inventi fuerint premissa cum diligencia non observasse et reos in hoc non punivisse, a suis officiis absolvantur penam, nec illo anno possint reassumi ad officium prioratus vel eciam lectoratus; eorum autem vicarii locum presidentis tenere non valeant infra annum.

Item. De mittendis ad studia ordinamus, quod nullus ad studium logicale mittatur, nisi saltem in ordine duobus annis fuerit religiose conversatus vel alias in seculo fuerit etate provectus et in grammaticalibus instructus; ad naturarum vero studium nullus mittatur, nisi in grammaticalibus et logicalibus fuerit sufficienter informatus, testimonio lectorum et magistri studencium et sublectoris, de cuius sufficiencia per preceptum a priore provinciali vel eius vicario seu visitatore requiratur. Ad sentencias vero audiendas non mittantur fratres nisi naturalibus, testimonio premissorum sub precepto requisitorum, fuerint sufficienter instructi. Volumus autem et ordinamus, quod in studiis tam logicalibus quam naturalibus repetantur singulis diebus lectiones per magistrum studencium

¹ Cf. supra pag. 303 l. 21 sqq. “Non est dubium, haec statuta fuisse provocata per motum antitomisticum in Universitatibus Paris. et Angliae, quem et quidam ex Ord. Praed. sequebantur, ut Robertus Holcot, provinciae Angliae (de quo QuetifEchard, I, 629 sqq. D'Argentré Coll. jud., I, 340) et per errores quorumdam theologorum, ut Nicolai de Ulticuria et Iohannis de Mirecuria”. DENIFLE l.c. pag. 592, not. I.

vel fratrem alias ydoneum, qui ad hoc officium per priorem, lectorem et sublectorem fuerit deputatus. Lectiones autem studentes in dictis studiis reddant suis magistris semel vel pluries in qualibet septimana. Ad generale autem studium nullus mittatur, nisi ordine premisso in logicalibus et naturalibus sufficienter profecerit, et saltem duobus annis in aliquo particulari studio sentencias audierit, et testimonio lectoris, cursoris ac magistri studencium per preceptum requisitorum de eo spes multum probabilis habeatur, quod ad lectoratus officium ydoneus sit futurus. In ipsis vero studiis generalibus magistri studencium ad partem, nisi legitimum impedimentum occurrat, disputent omni septimana per totum annum saltem semel; illi vero, qui legerunt sentencias in studiis theologie, anno sequenti sint ibidem magistri studencium et phylosophiam moralem legere teneantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod qui positi fuerunt ad legendum logicalia, legant totam logicam in duabus annis, et tam lectores quam studentes in logicalibus et naturalibus insistant potissime circa textum.

Item. Volentes cum effectu fratum infirmorum indigenciis plenius provideri, volumus et ordinamus, et in virtute sancte obediencie precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod singuli priores provinciales vel eorum vicarii de consilio diffinitorum sui provincialis capituli et aliorum discretorum modum convenientem inveniant et ordinent hoc anno in suis provincialibus capitulo de providendo infirmis, ad quem modum firmiter observandum priores conventuales et eorum vicarios obligent per penas graves.

Item. Cum ex insufficiencia predicancium et confessiones audiencium ordo noster veniat in contemptum et vergat in periculum animarum, volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales ac vices eorumdem gerentes diligentissime caveant, ne committant predicationis officium seu confessionis audienciam nisi fratribus ad hoc ydoneis, moribus et vita et sciencia sufficienter approbatis, adiicientes nichilominus, ne frater exponatur ad predicandum populo, nisi qui in capitulo coram fratribus pluries predicaverit in vulgari; nec aliquis admittatur ad confessionum audienciam, nisi iudicio discretorum sufficienter instructus fuerit in casibus et aliis ad huiusmodi officium requisitis.

Item. Cum secundum sentenciam apostoli servos Christi non deceat litigare, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne frater de cetero quoquomodo verbo vel scripto (se) de placitis seu negotiis secularibus ex se odiosis aliquatenus se intromittat, nisi in casu aliquo multum utili et necessario eius priori provinciali vel conventuali, communicato super hoc plurium discretorum consilio, aliud videretur. Nullusque, cuiuscumque condicionis aut auctoritatis existat, sub eodem tenore precepti de guerris aut guerrarum negotiis se presumat intromittere directe vel indirecte, alioquin ex vi presentis statuti se reputet condemnatum ad penam carceris.

Item. Cum sathanas frequenter se in angelum lucis transfiguret, ordinamus et imponimus fratribus universis, ut constitutionem de litteris testimonialibus ab itinerantibus deferendis diligenter observent, nec sine huiusmodi litteris de licencia et causa vie sue facientibus mencionem de conventu ad conventum (non) transeant. Quicumque autem sine talibus litteris ad conventum aliquem accesserint, nisi essent persone tam spectabiles, quod de eorum condicionibus non posset dubitari aliquatenus, ibidem graviter puniantur. Fratres vero fugitivi et inutiliter sine licencia priorum discurrentes pena graviori culpe debita puniantur.

Item. Ut detractores deo odibiles de suis excessibus compescantur, volumus et ordinamus, quod quicumque frater fratrem alium scienter apud extraneos diffamaverit aut crimen falsum imposuerit, postquam de hoc legitime constiterit, pena gravioris culpe, omni dilacione postposita, puniatur.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater, cuiuscumque condicionis aut gradus existat, ad curiam Romanam accedat nec in eadem curia stet sine eiusdem magistri licencia speciali, de qua per litteras magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem et in curia procuratori ordinis eandem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus, et nichilominus sentenciam excommunicationis ipso facto se noverit incurrisse. Quam sentenciam excommunicationis dictus magister coram diffinitoribus protulit iuridice in diffinitorio de diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli retinens et reservans. Concedit tamen magister ordinis priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie, secundum quod honori ordinis et eorum negotiis viderit expedire. Postquam vero fratres de licencia, prout permittitur, curiam intraverint, infra · iii · dies a procuratore ordinis statuta et ordinaciones in curia factas de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro fratre Arnando Barrani diffinitore provincie Terre sancte, qui mortuus est in via, rediens de capitulo generali Podensi.

Sentencias iudicium approbamus.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Gaufridum de Serans de conventu Parisiensi provincie Francie, et quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias pro anno sequenti ibidem fratrem Bonifacium de Piguena de provincia Romana.

Assignamus lectorem in conventu Bononiensi fratrem Franciscum de Belluno, sacre theologie magistrum², et ad legendum sentencias in eodem conventu assignamus fratrem Franciscum de Tervisio³.

² De fr. Francisco de Belluno cf. supra pag. 290 l. 34.

³ Franciscum de Belluno a Francisco de Tervisio esse distinguendum, minime verisimile arbitratur DENIFLE l.c. pag. 592.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de lectoribus, bachalaureis, magistris studencium et biblie provideat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire. Ponimus vicarium in provincia Francie fratrem Herbertum Senonensem, priorem Parisiensem⁴, donec prior provincialis in eadem provincia sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem. Ponimus vicarium in provincia Provincie fratrem Parisium Parisii lectorem Avinionensem, magistrum in theologia⁵, donec prior provincialis sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Bononiensi provincie Lombardie inferioris; et ordinamus, quod diffinitores, qui futuro anno diffinient, illuc dominica infra octavam ascensionis veniant.

Nullus autem alias, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante sextam feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione ad capitulum veniendi de suo conventu iter arripuerit, ipso facto omni voce sit privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Ponimus vicarium generalem in conventibus Sicilie fratrem Iacobum de Ficara. Explicant acta capituli generalis apud Brivam celebrati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XC.

⁴ De fr. Heriberto Senen. cf. supra pag. 242 l. 7.

⁵ De fr. Parisio Parisii cf. supra pag. 251 l. 21.